

magnis nigris nascentibus, tarsis pallide flaventibus, apice fuscis; capite ab antico viso latitudine cum oculis fere dimidio brevior, margine verticis tenui; rostro nigro. ♀. Long. $2\frac{1}{4}$, lat. 1 mm.

Orizaba, Puebla, m. Februarii 1883, 2 ♂.

Leucopoecila Bilimeki n. sp. Nigricans, antennis, rostro, coxis femoribusque concoloribus, femoribus anterioribus apice, tibiis anterioribus cum tarsis pallide flaventibus, his apice fuscis, tibiis tarsisque posticis nigro-fuscis; vitta media suturae clavi guttaque sat magna apicali corii albis; membrana fumata, venis fuscis, areolis medio arcuque venas externe terminante albidis. ♂. Long. $2\frac{1}{2}$, lat. 1 mm.

Mexico, 1 sp.

L. albofasciatae Reut. (1907) simillima, sed paullo major, capite ab antico viso fere paullulum fortius transverso hemielytrisque aliter signatis. Caput maris pronoto fere dimidio brevius, ab antico visum latitudine fere dimidio brevius, vertice oculo circiter duplo latiore. Antennae articulo secundo latitudini verticis oculique unici fere aequae longo. Pronotum basi longitudine paullo magis quam duplo latius, apice quam basi circiter $\frac{1}{6}$ angustius.